AUTHOR:

FOERSTEMANN, ERNST

TITLE:

DE COMPARATIVIS ET SUPERLATIVIS...

PLACE:

HALIS

DATE:

[1844]

Master Negative #

92-80596-1

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Foerstemann, Ernst,

De comparativis et superlativis linguae Graecae et Latinae. Commentatio quam...defendet Ernestus Foerstemann... Halis, typis Ploetzianis, [1844]

46 p. 20 cm.

Thesis, Halle, 1844.

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 5/22/92 INITIALS TM
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE COMPARATIVIS ET SUPERLATIVIS LINGUAE GRAECAE ET LATINAE.

COMMENTATIO
QUAM
AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
IN ACADEMIA HALENSI CUM VITEBERGENSI
CONSOCIATA
DIE XI. M. IUN. A. MDCCCXLIV.
H. L. Q. S.
UNA CUM SENTENTIIS ALIQUOT CONTROVERSIS
PUBLICE DEFENDET

ERNESTUS FOERSTEMANN
GEDANENSIS.

ADVERSARII ERUNT:
C. STAHLBERG, PHIL. DR.
A. HEIN, CAND. MED.
G. HINTZ, STUD. PHIL.

HALIS
TYPIS PLOETZIANIS.

VIRIS

AMPLISSIMIS CLARISSIMIS

FRANCISCO BOPP

PHIL. DR. PROF. PUBL. ORD. CET.

ET

AUG. FRIEDERICO POTT

PHIL. DR. PROF. PUBL. ORD.

PRAECEPTORIBUS MERITISSIMIS

TENUE HOC STUDIORUM SPECIMEN

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Comparativi et superlativi natura et indoles quae sit in multis et orientalibus et occidentalibus linguis quamquam haud pauci viri admirabili ingenii acumine praediti nostris temporibus doctissime indagaverunt, sunt tamen, quae ad liquidum perducere iis non contigerit. Itaque mihi grammaticae comparativae, quae nunc indies magis magisque effloret, inde ab ineunte fere adolescentia operam navanti visum est et ea, quae adhuc incerta restant, diligentius anquirere et ea, de quibus inter viros doctos convenit, in novum ordinem, rebus scilicet certis consentaneum, redigere. Ne vero multarum linguarum perscrutatione nimis quaestio incresceret, duas illas potissimum veteres linguas maxime cognitas elegi, qua in re ita versatus sum, ut reliquas linguas, quae cum illis communi affinitatis vinculo sunt obstrictae, non invite adhiberem, ubi fructus inde videbantur redundare.

Ac primum quidem, quum summa huius disputationis in etymologica quam vocant grammaticae parte versetur, duo praecipue, ut nonnullorum exspectationi occurram, sunt commemoranda, quae neque hic locus capit et omnino a nostro consilio sunt aliena, ita ut merito hic praetermittantur. Primum enim quum in omnibus linguis permulta inveniantur adjectiva, quae propter notionem ipsis insitam aut comparativo et superlativo aut altero utro gradu careant, haec tractare non etymologiae sed semasiologiae potius est, quam quidem grammaticae vindicandam esse viri quidam docti, quorum agmen duxit Reisigius, nostra fere aetate luculenter ostenderunt. Alterum huic paene contrarium. Etenim quum proprium sit omnibus linguis, quae est prisca earum abundantia et verborum copia, ut unam eandemque notionem eamque usu tritissimam compluribus ini-

tio verbis significent, deinde vero innato quodam linguis quasi parsimoniae studio eorum numerus imminuatur, ideo etiam in adjectivis nonnullis frequentioribus in usum venit, ut singulis eorum vel binis gradibus abolitis bini vel singuli tantum remanerent, in eorum vero qui perierunt locum alia adiectiva, quibus notio est similis, et ipsa defectiva succederent. Quare saepenumero duo vel tria adiectiva quasi unum efficiunt: atque tantum abest, ut verbi gratia vocabula bonus, melior, optimus primitus eiusdem adiectivi formas iudicemus, ut istiusmodi ridicula somnia vix puerulis, nedum viris doctis digna habeamus. Talia igitur quum magis ad indices vocabulorum ableganda, quam grammaticae arroganda videantur, hoc loco negligere licet, imprimis ne ei, qua nobis opus est, brevitati officiatur. Erit autem his reiectis tota nostra tripartita disputatio, ut primum terminationum ipsarum rationem perpendamus, tum de sonorum mutationibus agamus, quae adiectis ad thema quod vocamus terminationibus fieri assolent, postremo investigemus, quomodo interdum positivi gradus thema ab iis differat, quae reliquis gradibus sunt propria.

Caput I.

Disputatur de terminationibus.

Omnibus iis linguis, quas Indo-Germanicas communi appellatione nuncupamus, duo sunt comparativi suffixa (quod verbum nunc usitatissimum ne offendat quaeso), quae hoc loco deinceps considerare placet. E quibus alterius, quod quominus antiquius censeamus nihil est quod impediat, haud dissimiliter veri vetustissimam formam ians fuisse opinamur: in Sanscritam enim eius formam ijans **j** litteram secundum legem quandam eius linguae, de qua videas Boppii Gramm.

§. 51. ad evitandum hiatum insertam coniicere licet. Originatio autem huius suffixi incerta. A radice enim **i** (ire) quominus derivemus maiori impedimento forma est quam notio, de qua conferantur, quae infra de altero suffixo disputabimus: nam ita aut mera radice usa esset lingua aut adiecisset **t** tantum litteram, id quod fieri solet e. g. in eques et ales vocabulis, quorum themata quum equit et alit sint, eos significant, qui equis aut alis quasi ire soleant. Haec autem in medio relinquamus. Ceterum haec terminatio ians in Graeca aeque atque in Sanscrita lingua iam ante ea tempora, e quibus harum linguarum scripta monumenta exstant, adeo summota est loco, ut hisce in linguis circiter triceni tantum comparativi hoc suffixo praediti restiterint, quod contra in Slavorum et Lithuanorum linguis haec terminatio primarium locum tenet, apud Gothos autem reliquosque Germanicae stirpis populos et apud Romanos omnibus adiectivorum certe comparativis formandis inservit. Graeca autem huius suffixi forma est *ιον*, mutato, id quod saepe accidit, *α* in *ο* et omissa ultima littera *σ*. Quae littera mea quidem sententia hac de causa omittitur: si huic suffixo casus cuiusdam terminatio adiungeretur, efficeretur exempli gratia genitivus *ιονσος*, ita vero et ante *ν* et post *σ* litteras essent vocales. Valeret autem, quum *ν* omnium sonorum sit tenuissimus, (hoc loco anusvaro Sanscrito simillimus) haec litterarum coniunctio propemodum idem, ac si *σ* positum esset inter duas vocales. Hoc autem si accidit in Graeca lingua, ubi nihil aliud obstat, semper haec littera eliditur. Quod factum est, ut exemplum afferam, in genitivis in *ων* desinentibus, quos quum ex *αων* aut *οων* contractos constet, eiecto *σ* ex *ασων* aut *οσων* formis primitivis ortos esse linguarum similitudo docet, ita ut Hermanni sententia, omissum esse digamma, affatim refellatur. Cuius generis plurima sane exempla afferri possunt. Quodsi quispiam autumet, esse huius litterae omissae vestigia quaedam contractos comparativos, ita ut *βελτίω βελτίους* posita

sint pro βελτίοσα βελτίοσες, ne immemor sit admonitum velim, iam Boppium, virum ob eximium ingenium incertum an ob eruditionem politissimam magis admirandum, in libro suo vergleichende Grammatik cet. pag. 411 seqq. haec in dubium vocasse. Certum autem documentum servati etiam in Graeca lingua σ contracta forma ις est, de qua paullo infra plura afferam.

Alio modo atque apud Graecos in Romana lingua illud suffixum ians immutatur; omittitur enim **n** et producitur compensationis cuiusdam causa vocalis praecedens, simulque ob nasalem eiectam sonus adsciscitur non aeque clarus, **o** dico vocalem, ita ut hoc modo Latina fiat terminatio iôs. Hanc terminationem antiquitus in lingua Romana fuisse Varro et Festus sunt auctores, quorum alter melios alter maiosibus et meliosibus veteres dixisse testis est. Posterioribus vero temporibus, quandoquidem **s** inter duas vocales in **r** abit, maiosem exempli causi in maiorem mutatur: postremo autem ad ceterorum casuum similitudinem etiam nominativus masculini et feminini generis maior formatur, ita ut **s** non nisi in neutro maius permaneat. Quod perinde fieri assolet in substantivis exeuntibus in os, ubi verbi causa iamdudum dictum erat arborem pro arbosem, quum loco nominativi arbos dici inciperetur arbor, id quod non ante Ciceronis tempora factum esse nemo hodie negabit. Nam qui secus de hac re statuerunt, talia maxime corruptelis esse obnoxia fuerunt immemores.

Sequantur pauca de brevioribus quibusdam huius suffixi formis, quae quidem in utraque lingua usitatissimae sunt. Duae enim vocales quum in ians suffixo coniunctae, neque tamen ita comparatae sint, ut earum loco aut una vocalis aut diphthongus poni possit, facillime fieri potuit, ut omissa secunda vocali oriretur forma ins, e qua duas alias is et in nasci posse consentaneum est. Atque illam quidem formam is inveniri exempli gratia in Latino vocabulo plerique hoc loco obiter tantum attingam, infra autem pluribus evincam.

Alia autem exempla eiusdem terminationis ea de causa difficilius cognoscuntur, quia genitivus tertiae quam vocant declinationis eiusdem soni suffixo praeditus est, ita ut in adverbiis saepe non liqueat, utrum suffixum sit intelligendum. Procul dubio primitus comparativos fuisse censeo magis et potis, ortos illos quidem ex integris formis magius et potius, eodemque iure ultis, quod vocabulum veteribus idem valuisse ac postea ultra Pomponius auctor est. Alia autem verba, velut satis et nimis et mox, quae vox postrema fortasse ex eodem fonte derivanda est ac magis, scrupuli aliquid relinquunt.

Saepius autem haec terminatio is ibi inveniatur necesse est, ubi adiecto ad vocabulum alio praeterea quodam suffixo concisior illa forma adiungitur, ne nimis verbum ingravescat. Hoc modo prius fit pris in verbis pristinus, priscus, pridem, quae orta sunt ex integris vocabulis priustinus, priuscus et priusdem sive prisdem. Sub eandem rationem cadunt paulisper, quantisper, tantisper, quae verba e comparativis adiectivorum paulus, quantus, tantus profecta sunt addita terminatione per. Postremo quum saepe fiat, ut e comparativis gignantur superlativi, etiam terminationum issimus, ιστος et aliarum eadem est ratio. Talibus igitur superlativis quum edoceamur, fuisse quondam etiam in Graecis comparativis **s** illud postea omissum, tum priscis iam temporibus omissum esse supra monitum est, ita ut alia eiusdem litterae vestigia huiusmodi in verbis certa quidem afferri non possint. Fortasse tamen, ne quid reticuisse videar, αὖθις vocabulum hic est commemorandum, neque alio fortasse modo formata sunt verba ἄχρις, μέχρις, χωρίς, quorum et notio et usus, quum praepositionum vicem sustineant, hanc opinionem videntur stabilire.

Syllabam vero in, quam secundo loco posui, etiam natam esse e suffixo ians, ea ex re apparet magis Graecae quam Latinae linguae esse propriam, quod **n** littera est servata. Nihilo tamen minus etiam in illa

lingua est rarissima. Attamen quum πρὶν adverbium idem esse probabile sit ac **p r i s** illud supra allatum, cuius sententiae Vossium primarium auctorem allego, πρὶν illud eius terminationis exemplum esse videatur, nisi potius **s** in **n** mutatum esse credas. Praeterea etiam de αὖθιν adverbio, quo nonnullae dialecti pro αὖθις Atticorum voce utuntur, non est quod alio modo iudicetur. Deinde quae ratio intercedebat inter πρὶν et p r i s, eadem ducenda est inter πλεῖν Atticorum vocabulum et p l e r a sive p l e s a, quo usus erat Pacuvius. Πλὴν autem quum Pottio auctore (etymol. Forsch. II., 323.) fortasse nihil aliud sit ac πλέον, eodem iure idem esse quod πλεῖν illud coniici potest. Postremo etiam de πάλιν adverbio, cuius natura comparativo non est dissimilis, dubitari potest, utrum huc an alio quadret. Quaerentibus denique nobis, num etiam in Latina lingua reperiantur eiusdem suffixi exempla, duo quidem offeruntur adiectiva, scilicet p r o p i n q u u s et l o n g i n q u u s, de quibus tamen quominus certi aliquid proferre coner religione quadam impedior. Alia autem vocabula, quae si externam speciem spectas his sunt similia, velut e x t r i n s e c u s, i n t r i n s e c u s alia non ad comparativos, sed ad locales quosdam veteres casus pronominum pertinere enucleate planum reddidit S c h m i d t i u s de p r o n. G r a e c o et L a t i n o pag. 78.

Etiam pronominum nonnullos genitivos, ut i l l i u s, c u i u s primitus fuisse comparativos neutrius generis audaciori iusto coniecturae locum dans opinatus est Benfeius in libro suo G r i e c h i s c h e s W u r z e l l e x i c o n II. p a g. 240: quae sententia vereor, ut probari possit.

Sed redeam ad certiora et agam de altero comparativi suffixo. Est autem antiquissima eius forma t a r in Sanscrita et Zendica lingua integra servata: in G o t h i c a autem mutatur **t** secundum huius linguae morem in **th**: in Graeca denique Latinaque **a** litterae locum obtinet tenuioris soni vocalis **e**. Oritur autem hoc suffixum, qua de re nostris temporibus haud pauci viri

consentiunt, a radice t a r, Sanscritice tṛ scripta, cui notio est transgrediendi, ita ut verbi causa σεμνότερος proprie eum significet, qui modum sanctimoniae et honestatis quasi excedat. Unus tantum vir doctus, quod sciam, Benfeius novissimis temporibus aliam protulit sententiam, sed eam intricatiorem: dicit enim, fuisse olim nescio unde petitum a - t a vocabulum, Sanscritam praepositionem a t i fere aequiparans, unde adiecto quodam comparativi suffixo r a, cuius notitia me item fugit, factum esse nostrum illud t a r. Sed tamen ea res est, de qua quaestio nondum plane videatur ad finem perducta.

Quae quum ita se habeant, duo illa suffixa i a n s et t a r inter se conferantur. Considerantibus autem, utrum eorum sit prius adhibitum ad formandos comparativos, i a n s illud videtur praeferendum. Nam et apud Romanos Germanosque, quos quidem populos omnium primos emigrasse e communi illa Asiatica patria persuasum habeo, hac terminatione omnes adjectivorum quae proprie dicuntur comparativi sunt praediti et apud Graecos Indosque iis potissimum adjectivis adjicitur, quibus in linguarum primordio maxime opus fuisse comparativos et superlativos ad unum omnes consentiunt.

Deinde est commemorandum, in nulla quod sciam lingua utramque promiscue terminationem uni eidemque adjectivo adjici, nisi in Graeca, quo magis videatur necessarium exemplorum ex hac lingua petitorum copiam quandam offere. In Atticis nempe scriptoribus soluta oratione usis saepius μακρότερος, rarius μάσσων, saepius μείων, rarius μικρότερος occurrit. Praecipue vero epica dialectus binis hujusmodi comparativis ad unum eundemque positivum pertinentibus abundat, et saepissime quidem ita, ut serioribus temporibus ii tantum duraverint, qui in ιων desinunt. Epicae igitur dialecto peculiares comparativos qui in τερος cadunt animadverto hos: βέλτερος, κακώτερος, πλειότερος (Hom. Od. λ′ 359.), ῥαότερος et ῥηίτερος, χειρότερος et χερειότερος. Haec qui considerat quum facile dixerit contra

nostram sententiam, *τερος* suffixum videri altero antiquius, is meminerit velim, esse etiam in epica dialecto in omnibus iis comparativis alteram terminationem, ita ut licuisse appareat poetam metri causa eligere alteram alteramve comparativi formam. Contrarium semel tantum accidit, ut Homerus usus sit comparativo in *ιων* desinente (*φιλίων* Od. *τ'* 351), postea vero oblivione illi vocabuli formae obrepta alterum ei suffixum adiunctum sit. Cui similia sunt *ἔγγιον, ἡδίων, θάσσων, πρήϊον,* quae postea *ἐγγύτερον, ἡδύτερος, ταχύτερος, πρότερος* sonuisse Hesychius est testis, quippe qui his verbis illa interpretatur.

Suffixum igitur nostrum ter, de quo nunc est agendum, in Graeca lingua usurpatur in omnibus paene adiectivorum comparativis, in Latina vero ne in uno quidem adhibetur. Sunt vero praeter adiectiva in omnibus fere linguis nonnullae praepositiones atque etiam pronomina quaedam, quae utantur comparativi suffixo, praetereaque haud raro fit, ut etiam e verbis et substantivis oriantur comparativi. His vero locis et Graeca et Latina lingua hoc ter semper usurpant suffixum, numquam vero illud, de quo supra diximus. Perlustremus igitur talium vocabulorum haud exiguam seriem. Atque ad illos substantivorum et verborum comparativos quod attinet, nullum est eorum in Romana lingua vestigium, nisi fortasse voces frustra, a substantivo fraus derivandum, et matertera, quae vox aut alteram quasi matrem significat (Isid. Origg. p. 310 Lindem.), aut, id quod Pottius (Etymol. Forsch. II. 315) autumavit, cum adiectivo aliquo itera est composita, cuius praeterea nonnisi in adverbio iterum relictum est vestigium. Multa vero eiusmodi exempla e Graecis et imprimis quidem Homero depromi possunt. Refero autem huc vocabula *βασιλεύτερος, θεώτερος,* (Od. *ν'* 111.), id quod minime ortum est e *θειότερος,* sed cum substantivo *θεός* potius conspirat, *ἀγρότερος,* cuius similis est ratio, quum ad *ἀγρός* substantivum neque vero ad *ἄγριος* adiectivum pertineat: deinde *ἐάρτερος* (Nicand. Theriac.), *θηλύτερος* (Od. *λ'* 386.), *ὀρέστερος, κύντερος, κουρότερος* (Hesych. s. v.), *ὁπλότερος,* quod ad *ὅπλον* substantivum quadrare primumque armis gestandis aptum adolescentem significare videtur: tum etiam *ἐνέρτερος* (*νέρτερος*) huc pertinet, si Eustathii sententia non vacillat, quippe qui *ἔνερος* substantivi etymon esse *ἔραν* tradat: postremo *καιρότερος,* quae fortasse Achaeorum erat vox, quamquam apud Hesychium s. v. lectio est incerta: denique *φέρτερος,* quod secundum veteres quosdam grammaticos cum ferendi verbo videretur coniungendum, ad quam sententiam stabiliendam conferri possent comparativus *φερέστερος* et positivi in *φερὴς* desinentes, nisi secundum Pottium haec derivatio merito in dubium esset vocanda.

Comparativis porro omnibus quum id insit peculiare, ut duarum rerum ratio habeatur, terminationi nostrae ea tribuitur provincia, ut adiiciatur adiectivis nonnullis vel pronominibus, quae aut duas quasdam res aut earum alteram significent. Duo exempli gratia significantur vocabulo *ἀμφότερος,* unus autem duorum verbo *δεύτερος,* cuius veterem formam quum probabile sit *δFέτερος* fuisse, *F* illud locum mutasse et tum in vocalem simillimam abiisse apparet. Semper igitur convenit secundo numero ordinali formam comparativi tribui, ita ut regulae minus congruens sit habendum, si superlativi suffixum cum hoc numero coniungitur, id quod fieri solet apud nonnullos recentiores populos, velut apud Francogallos, nostrates, Belgas, quorum vocabula deuxième, zweite, tweede (paulo prius ortum quam nostrum verbum) ceterorum numerorum sequuntur analogiam. Alteri autem duarum rerum significandae inserviunt Graecum *ἕτερος,* Latinum alter, Indicum antaras, Germanicum ander, quae omnia unius verbi paululum mutatae formae sunt habendae. Quarum vocum quum *ἕτερος* vocabulo spiritus asper sit e leni ortus nihil ille offensionis habet, quippe qui saepissime per totam Graecam linguam inveniatur auctore

Benfeio (Wurzellex. vol. II. pag. 49). Duarum autem rerum utraque quandoquidem compluribus consistere potest, et ceterus Romanum, quo verbo alterum duorum ita compositorum, et ἑκάτερος Graecum, quo ambo simul significantur, huc pertinent. Quorum verborum gradum absolutum Sanscrita nobis lingua praebet, quae ad unitatis numerum significandum utitur verba êka. Aliorum quorundam verborum cum his coniunctissimorum mentionem tantum iniicere iuvat, scilicet Latini uter eique aequalis Graeci πότερος, denique Graeci οὐδέτερος et Latini neuter, cuius quidem species externa ad uter vocabulum, notio autem interna ad alter verbum spectat: mirum sane, neque tamen quod sciam alibi commemoratum. Praeterea etiam pronominibus quae personalia vocantur et possessivis inde derivatis ideo non inepte impertiuntur comparativi suffixa, quod, quum secunda tertiaque persona inter se sint arctius coniunctae, quippe quia utraque primae est opposita, hac re primitus efficitur duarum tantum personarum discrimen. Quamobrem in sententiam a nonnullis viris latam abeo, comparativi suffixo praedita esse pronomina noster, vester, ἡμέτερος, ὑμέτερος, σφέτερος, νωίτερος, quibus adiiciendum σφωίτερος (Hom. Il. α′ 216). Imprimis autem huc pertinent praepositiones aliaque vocabula inde nata, quoniam praepositionum est determinare, inter duas res quae ratio intercedat. Quare primo hic commemoro praepositiones inter, praeter, propter, subter adiectivaque inde orta exterus, posterus, externus, internus. Cum hisce uno loco poni possunt Graeca ἐνδότερος et ὑπέρτερος, cuius aliam formam ἐπέρτερος videsis in Hesychii lexico s. v. Quo respicere videtur, quod affert idem Hesychius ὑπερτερειώτερος, quod idem esse ac νεώτερος dicit: quamquam quomodo sit formatum, utrum iteratum sit suffixum an non nescire me non possum diffiteri. Apud Homerum vero quae vox invenitur βερτέρη, quam pro ὑπερτερία positam esse sunt qui putent, unde originationem ducat nondum satis

liquet. Ἔντερον vero substantivum certo huc pertinet coniungendumque esset cum Latino verbo interus, si hoc Latinum vocabulum fuisse constaret. Postremo vero mentio est facienda adiectivi νέρτερος, quae forma si antiquior est quam ἐνέρτερος, ita ut hoc secundum Graecae linguae consuetudinem praefixum habeat ε, non est, quin cum Sanscrita praepositione nir sive nis coniungendam putemus. Deinde vero in Latina lingua occurrunt vocabula huc attinentia quaedam, quae primitus quidem fuerunt ablativi *), postea vero idem valere inceperunt atque adverbia sive praepositiones. Huiusmodi sunt citro, contro (cf. controversia), intro, porro, quod idem verbum etiam in Graeca lingua sonat πόῤῥω ortumque est ex antiquiore quadam forma pot-tro, deinde retro, tum ultro, quod vocabulum fortasse idem fere esse ac Graecum ὕστερος infra demonstrabitur, postremo feminina nonnulla, velut citra, contra, extra, intra, ultra. Obiter adverbium eodem suffixo praeditum videtur Boppio, qui illud a Sanscrita praepositione abhi ortum censet, cui sententiae aliam praeferre non ausim. De aliis vero vocabulis, ut poetae verbis utar, grammatici certant et adhuc sub iudice lis est. Infra enim et inferus sub ea tantum conditione huc referre licet, si Sanscriti verbi adhara suffixum dhara idem esse atque tara statuamus, qua de re conferatur Boppii grammatica comparativa pag. 393. Praepositio vero super huc omnino non pertinet, sed aeque orta est atque adiectiva in rus exeuntia. Deter et deterior adiectiva comparativos de praepositionis esse haud inepte Grimmius tradit. Praeterea Auster substantivum, quod plurimi cum his verbis communionem habere non divinaverunt, Boppius a Sanscrita praepositione ava derivandum putat, quae apud Persas veteres pronominis vice adhibebatur, apud Graecos autem compositi pronominis αὐτὸς est etymon.

---

*) Ablativos fuisse praecipue e SC. de Bacc. perspicuum est, ubi bis extrad, ter suprad legitur.

Immo etiam avânc' vocabulum Sanscritum, ex hac praepositione ortum, meridionalem denotat regionem. Sed alii alia tradunt haud mediocriter ab his discrepantia. Multo autem certius huc pertinet iterum, quod vocabulum derivandum est a pronominum radice notissima **i**, quam Latina lingua etiam in verbis ita, igitur, is et id genus aliis servavit. Postremo autem Benarii sententiam qui scribit ter syllabam occurrentem in verbis sempiternus, hesternus et aliis quibusdam idem esse suffixum dubito utrum difficilius sit affirmare an refutare.

Tantum de simplicibus suffixis: ventum igitur est ad has terminationes compositas. Cum omnibus enim omnium linguarum suffixis ita multo usu tritis, ut aliquid de propria sua vi amiserint, saepenumero, ut eorum vis magis eluceat, alia eiusdem notionis suffixa componi solent, idque eodem modo in comparativis fit, ubi interdum duo illa suffixa ians et tar componuntur et ita quidem, ut praecedente illo ians brevissima eius forma supra commemorata, is nempe, semper fere appareat, quo modo terminatio ambabus linguis communis fit ister, praecedente vero altero suffixo, id quod in Latina tantum lingua occurrit, integra utrique terminationi duret forma, et hoc modo existat terior. In Graeca autem lingua huic postremae formae similis non invenitur, quum ibi *ιον* suffixi rarior sit usus.

Primum igitur animum advertamus ad illud ister. Huius exempla in Latina lingua occurrunt substantiva magister et minister, quae orta esse e veteribus comparativis magius et minius manifesto apparet, nusquam traditis quidem a scriptoribus, sed secundum certam quandam coniecturam fuisse olim in lingua visis. His adiungo incertae originis adiectivum sinister, quod fortasse a sinu togae derivandum esse Pottius (l. l. II, 190) putavit, et postremo, sed dubitanter tamen, oppositae notionis vocabulum dexter, quod si huc pertinet, contractum esse oportet e pleniore quodam vocabulo decister.

In Graeca vero lingua insunt haud pauci comparativi in *ιστερος* desinentes, a grammaticis quod sciam omnibus semper iidem fere habiti atque ii, qui in *εστερος* exeunt. At videmus, cum similitudine quadam maximam esse harum terminationum dissimilitudinem. Nam primo nullum mea quidem sententia adiectivum occurrit, in quo duo illa suffixa inveniantur promiscue, secundo Thierschii opinio, consonam praecedentem cogere, ut alterum adhibeatur suffixum, nescio qua re nitatur, tertio, quod infra commemorabitur, comparativorum in *εστερος* exeuntium duo sunt fontes, ita ut aut existant e positivis in *ης* vel *εις* desinentibus aut certe delitentes quasi in lingua eiusmodi positivi mente fingi debeant. Illud autem *ιστερος*, cui adiungamus necesse est superlativi suffixum *ιστατος*, compositum certo est aut ita, ut ambarum comparativi terminationum communione ortum esse putemus, sicut hoc loco fit, aut ita, ut orta sint haec suffixa, quae Eustathii est opinio, e superlativis in *ιστος* desinentibus. Quare operae pretium videtur esse, si huc omnes eiusmodi comparativos et superlativos mihi notos conferam. Sunt vero hi: *ἀλαζονίστατος* (*ἀλαζών*), *ἀλγίστατος* (Suidas s. v., derivandum ab *ἄλγος* substantivo), *ἁρπαγίστατος* (*ἅρπαξ*), *κλεπτίστατος* (*κλέπτης*), *λαγνίστατος* (*λάγνης*, *λάγνος*), *λαλίστατος* (*λάλος*), *πλεονεκτίστατος* (*πλεονέκτης*), *πληκτίστατος* (*πλήκτης*), *ποτίστατος* (*πότης*), *προδοτίστερον* (*προδότης*, Photius s. v.) *πτωχίστατος* (*πτωχός*), *ψευδίστερος* (*ψευδής*). Hoc exemplorum choro facile posse intelligi videtur, hanc terminationem imprimis vituperandi et detestandi vocabulis adiungi. Et quis non sentiat, hanc suffixi iterationem utique ad vim vituperationis augendam potissimum usurpari? Quamobrem ne id quidem fortuito accidit, ut apud scriptores inveniantur plures huiusmodi superlativi quam comparativi *). Diversae autem ab his notionis duo tantum mihi occur-

*) Ideo etiam superlativo *ἐλέγχιστος* (Hom. Il. δ' 171) nullus est comparativus.

rerunt verba, κυδίστατος, quo usum esse Nicandrum Eustathius testatur, et ἀριστερός, quod fortasse item ac sinister huc pertinet. Est autem vocabulo ἀριστερὸς certo idem etymon quod superlativo ἄριστος: sinistra enim olim potior fuisse videtur, ut hodiedum apud gentes orientales. — Annumerandi quodammodo his verbis in ιστερος exeuntibus tres sunt comparativi, in quibus eodem quidem ordine ambo illa suffixa sunt coniuncta, ita tamen, ut ιον terminationis etiam secunda vocalis maneat. Sunt autem καλλιώτερος, quod occurrit apud Hesych. (s. v. αἱρετωτέραν), deinde μασσότερον (Hesych. s. v.), denique ἐπασσύτερον Homericum, ubi o littera comparativi ἆσσον in υ tamquam Aeolice videtur mutata. Sed sit iam huius loci finis.

Secundo loco posui suffixum terior idque apud Romanos tantum inveniri commemoravi. Sunt autem omnia eius exempla: ulterior, posterior, in cuius similitudinem formatur anterior, deinde interior, tum deterior, si a praepositione de est derivandum, postremo sinisterior, cui verbo tria simul suffixa tribui veri est simile. —

De superlativo nunc erit agendum. Cuius peculiaris notio quum ea sit, ut res quaedam, ratione habita cuiusdam, quod illi est proprium, praeferatur aliis quibusdam, ad significandum superlativum non opus est nisi suffixo, quo res illa praecipue denotetur et quasi digito demonstretur. Cui rei quum sufficiat merus articulus vel pronomen demonstrativum, in linguis suffixorum usum repudiantibus articulus occurrit ad significandum superlativum aut positivo praemissus, sicut in Hebraica lingua fit, aut comparativo, quod factum est in Francogallica. Contra eae linguae, quae magna suffixorum varietate abundant, suffigunt iure suo demonstrativum vel positivo vel comparativo.

Adsciscuntur autem etiam ad superlativos formandos in omnibus iis linguis, quae Indo-Germanicae vocantur, duo suffixa, scilicet ta et ma. Alterum autem ta usitatissimum illud in omnibus his linguis demonstrativorum pronominum thema esse facile intelligitur.

Idem etiam ad participia formanda adhiberi satis persuasum habeo, ita ut exempli causa Sanscritum disch-t'as, (h. e. diç-tas), Graecum δεικ-τός, Latinum dictus, nostrum ge-zeig-t(er) nullam passivi significandi notam contineant, sed tantum verbi notionem ad certam quandam personam pertinere significent, nulla vero trium illarum verbalium personarum ratione habita, qua re non verba fiunt, sed nomina.

Difficilius multo alterum suffixum ma, cuius usus aliquanto angustioribus circumscriptus est limitibus, primitus demonstrativum fuisse evincitur. Attamen ne aquam mihi haerere fatear, unde originem ducat, coniiciendi periculum saltem faciam. Inveniuntur enim in utraque lingua permulta substantiva et adiectiva eiusdem soni suffixo praedita, cui notio tum est agendi tum agendi facultatis, saepe denique participio perfecti passivi prorsus aequalis. Saepenumero igitur hoc suffixum idem valet, quod illud, de quo supra est dictum, ita ut exempli gratia γραμμή proprie sit scripta; στιγμή puncta; fama, quod derivandum est a fando, sit verbis divulgata; almus, cuius primitivum est alendi verbum, primitus idem sit quod altus, deinde vero quasi animo excelsus. Fortasse etiam huc pertinent omnia Graeca substantiva in μα desinentia, quorum genitivi in ματος exeunt. Hoc igitur demonstrativum in neutra lingua videtur separatim inveniri*), attamen μιν illud Ionicum procul dubio huc est referendum. Cuius vocis Ionicae prima littera quum apud Dorienses et Atticos secundum omnium linguarum consuetudinem in ν mutetur, quamvis fluctuent interdum, velut in Pindaro, lectiones, non est quod Sanscritum pronomen na idem esse negemus, cuius vestigia etiam in Latina lingua manserunt. Accusativus enim est eius nam particula, quae priscis temporibus idem signifi-

---

*) De Sanscrita lingua, unde praecipue amu pronomen huc est referendum, cf. Benfey Wurzellex. II. 29. sq.

casse videtur atque ita, deinde vero eiusdem stirpis restant vocabula enim, nempe, denique fortasse etiam num. His omnibus addenda fortasse videntur et participia perf. pass. Germanicorum verborum in en desinentia, exempli gratia geboren et Sanscritorum verborum exeuntia in âna, velut bibhrâna, eodemque iure adiectiva permulta Graeca et Latina eiusdem formae notionisque, verbi causa plenus et *δεινός*. Quin etiam Sanscritorum participiorum suffixum mâna Graecorumque *μενο* similiaque Latina substantiva eodem pertinere, ita ut fortasse iterationem suffixi illius contineant, negare non ausim. At amplius de his quaerere nonnullaque e schedis meis afferre nec licet neque animus est, itaque, ne multus sim, in his quamvis paucis acquiescam, visus fortasse iis, qui secus de his rebus statuunt, falsa veris temere miscuisse.

Ac primum quidem de utraque terminatione simplici agamus, quamquam ea verba, in quibus nudae neque quoquam alio suffixo admisto inveniuntur, rara tantum vestigia sunt antiquissimae utriusque linguae conditionis, ita ut a plurimis grammaticis regulam deserere dicantur. Imprimis autem haec suffixa occurrunt in numeralibus ordinalibus, quae in nulla lingua nobismet nota a superlativis differunt*).

Illud igitur ma, cuius loco Graeca et Latina lingua ponunt mo, ita ut nominativi fiant *μος* et mus, deprehenditur in numerali Graeco *ἕβδομος*, ubi *πτ* litterae vocabuli *ἕπτα* vi sequentis litterae *μ* in *βδ* abiisse videntur, aeque ac *γδ* litterae verbi *ὄγδοος* existant vi *F* consonae postea deletae. Nam non ita raro fieri, ut litterae quaedam alias eiusdem verbi litteras vel distantes sibi similes reddant, quod attineat ad sonum aut duriorem aut leniorem, veri est simillimum. Ceterum octavus et *ὄγδοος* vocabula ea re sunt insignia, quod

---

*) Hoc eodem modo accidit in lingua Sanscrita, ubi exceptis numeralibus simplices illas terminationes exstare non memini, nisi forte in vocibus agrama, adima, madhjama.

neutro suffixo sunt praedita, quamquam Sanscritum aṣ́tamas, nostrum achte canona sequuntur. Atque id suo iure in illis linguis videtur fieri, nam quum nostris temporibus viri quidam huius rei periti probaverint, octavum numerum in omnibus Indo-Germanicis linguis esse quarti dualem, hanc ipsam ob rem suffixa praecipue singularibus apta huic numero non tribui facile intelligitur. Itaque illam quae est de duali sententiam, si est aliquid, firmare hac re posse mihi videor. Atque etiam Benfeius quod affert in libro iam supra commemorato, haec verba esse eadem figura qua Sanscritum êkadaças (i. e. undecimus), recte se habet, eandemque rationem esse numerorum addendo formatorum atque eorum, qui multiplicando orti sunt, inde coniicio. Eodem vero modo etiam nonus vocabulum effici quum idem vir praestantissimus auctor sit, ortumque esse e novenus contendat, quia novem existat e noven, huic assentiri nullus possum. Nam **n** in **m** mutari, nisi certis quibusdam de causis, non videtur, quum contra **m** in omnibus linguis saepissime fiat **n**, itaque nescio an **m** illud verbi novem antiquius sit habendum quam ceterarum linguarum littera **n**. Hanc ob rem equidem nonus prioribus temporibus fuisse nomus puto, ita ut **m** aut verbo aut suffixo sit tribuendum, **m** autem mutatum esse in **n** duabus de causis, altera, quod saepissime talis fiat mutatio, altera, quod vi antecedentis **n** haec mutatio adiuvetur. Eadem autem ratio videtur esse vocabulorum septimus et decimus, quorum **m** suffixo potius quam verbo ipsi tribuere malim, quoniam plurima alia verba ex eodem fonte derivata **m** illud non servant, e. g. sept-eni, dec-ies.

Si dubitari non posset, quin Decius nomen decimum fratrem proprie significaret, sicut Quintus quintum, Sextus sextum, similis esset huius verbi ratio ac Sanscriti êkadaças, Latini octavus. Attamen silentio omittere non licet, hoc nomen fortasse idem esse atque Graecum adiectivum *δεξιός*.

Praeter numeralia adiectiva etiam tres praepositionum superlativi huc pertinent, summus dico, quod existit e sub-mus, imus positum pro in-mus neque vero certo pro infimus, postremo etiam demum, quod a de praepositione esse derivandum etiam demus adiectivo affirmatur, quo Livius Andronicus secundum Festi testimonium usus erat. Eadem figura, iniecta vero inter radicem et suffixum **i** vocali, sunt minimus et bruma, contractum e brevima, minime vero e brevissima. Purime vero adverbium a Festo s. v. commemoratum mutatum videtur e purrime, ita ut huc non pertineat: nullam saltem equidem video causam, cur haec praecipue vox antiquissimam retinuerit flexionem. Quotumus vid. infra.

Graecum huius terminationis exemplum occurrere putat Benfeius in libri citati vol. II. pag. 106. nomen *Πρίαμος*, ita ut superlativus sit Sanscriti adiectivi prîjas significetque primitus eum, qui valde ametur. Alii redemptum potius significare putabant. At huic incerto, ne mihi cum inani quadam specie res esse videatur, certius aliud adiungam. *Πρόμος* enim illud, quod ducem militum significat, simplicissimus et brevissimus videtur esse superlativus praepositionis *πρὸ*, vocabulo Gothico fruma ad formam plane aequus, ita ut primus intelligatur: antiquitate autem formae et Latinum primus et Sanscritum prathamas longe antecellit. Nam Eustathius ad Il. *η'* 39. quod affert, esse aut contractum e *πρόμαχος* aut compositum e *πρὸ* et *μῶ*, quod sit *προθυμοῦμαι*, claudicare vel potius iacere apparet.

Porro sicut ma illud in utraque lingua fieri mo vidimus, eodem modo etiam ta alterum suffixum mutatur in to. Saepius vero haec terminatio occurrit in Graeca quam in Latina lingua. Tribuitur autem ordinalibus omnium numerorum praeter secundum et septimum et octavum, de quibus iam supra mentio est iniecta. *Τρίτος* igitur et *δέκατος* regulam plane sequuntur, *τέταρτος* mutatum est e *τέτταρτος*, ne offendat una littera quater scripta, *πέμπτος* derivatur a *πέμπε*, unde

πέντε pluribus dialectis commune ortum est sonis dissimilibus factis, *ἔννατος*, si canona non desereret, *ἐννέατος* sonaret, *ἔνατος* autem ea de causa interdum dicitur, quia *ἐννέα* scribitur abundante altero **n**, postremo *πρῶτος*, *ἕκτος*, *τριακοστὸς* iique qui sequuntur numeri, ut infra demonstrabitur, nihil habent, quod offendat. *Ἑκατοστὸς* vero et reliqui numeri plane regulam deserunt: reputanti autem mihi tria visa sunt, ad quorum similitudinem formatae sint illae voces: quorum primo loco ponam *τριακοστὸς* similiaque vocabula, secundo superlativos in *ιστος* desinentes, tertio interrogandi verbum *ποστός*, licet aliunde plane, de qua re infra dicetur, ortum sit. Quanta vero sit vis *ἀναλογίας*, cuius tuendae imprimis Aristarcho grammatico sempiternas gratias habeamus necesse est, praecipue ea re apparet, quod iam ab epicis poetis periculum sit factum etiam septimi et octavi numeri ordinalia eodem modo quo cetera formandi, ita ut existant verba *ἑβδόματος* et *ὀγδόατος*.

His numeralibus adiicienda sunt pronomina *τόσος*, *ὅσος*, *πόσος*, quibus idem est suffixum, *τ* in *σ* mutato secundum Graecae linguae consuetudinem. Littera vero *π* interrogativorum omnium quum antiquissimis temporibus *κ* esset, vocabuli *πόσος* antiquissima forma erat *κότος*, quae quidem servata fortasse est in verbis *ἀλλόκοτος* et *νεόκοτος*, unde primum extitit *κόσος*, quod restat in dialecto Ionica.

Adiectiva quaedam huc pertinentia sunt *ὕπατος*, ex *ὑπὸ* praepositione formatum, sicut summus e sub, deinde *ἔσχατος*, derivandum ab *ἐξ* praepositione, litterarum ordine ita transposito, ut fit in verbo *λέσχη* derivando a *λέγω*, tum *μύχατος*, cuius etymon est *μυχός*, deinde *πύματος* incertae originis verbum, denique *μέσατος*, postremo *νέατος*, cuius femininum est substantivum *νήτη*.

Sicut Graeca lingua *μος* terminationem, sic Latina tus suffixum est aspernata. Tria tantum numeralia ordinalia eo sunt praedita, quartus, contractum e

quatuortus, quintus, mutatum e quinctus, sextus, vox plane integra. Etiam tertius numerale huc pertinet, ita tamen, ut eodem modo atque in Sanscr. trtîjas et Goth. thridja (unde fit verbum linguae Germ. vet. dritto) terminationi sit insertum pronomen aliquod, quo Graecum τρίτος caret. Eandem esse rationem nominum propriorum Quinctius, Sextius, quibuscum conferantur Septimius, Octavius, luce est clarius. Est autem hoc pronomen idem, quo Slavi Lithuanique definitam quam vocant declinationem formant.

Etiam Latinae linguae pronomen hoc loco est commemorandum, quotus dico, Graeco illi κότος, unde effectum est πόσος, paene aequale. Quin etiam remotissimum quidem hinc, quod attinet ad notionem, totus adiectivum, cum Sanscrito tavat alibi collatum, nihil tamen fortasse aliud est nisi demonstrativum illius pronominis, ita ut τόσος Graeco primitus sit simillimum. Contra vocabulorum quantus et tantus quin eadem sit ratio, Sanscrita lingua comparata dubitare licet.

Festus denique quod affert verbum meltom, quod idem esse dicit ac meliorem, comparativus esse non potest, sed scriptor fortasse minus accurate, id quod saepissime, praesertim in Hesychii lexico, fieri solet, alii gradui alium adiecit. Quamobrem Scaliger emendatione effecit meliom, Lindemannus autem positivum esse dicit Graeci comparativi βελτίων. Sed utraque coniectura quum sit incerta, verisimilius paullo superlativum vocem habere mihi videor. At in medio relinquamus rem. —

Hisce igitur arctis limitibus circumscripta sunt simplicia illa suffixa. Nam quum praecipue sit superlativorum, ut vi quadam animos commoveant, quoniam omnes omnium linguarum terminationes, paullatim extenuantur atque interdum prorsus ad nihilum rediguntur, superlativis ante omnia opus est compositione vim suffixi augente. Atqui superlativum, quae est eius natura, saepissime, ut in lingua Francogallica, Hungarica,

Polonica, e comparativo oriri manifestum est, de qua re Grimmius in grammaticae vol. III. disputavit, ubi tamen ob fraudulentam quandam speciem errore lapsus est vir praestantissimus. Itaque haudquaquam est mirandum, quod etiam in Graeca Latinaque lingua superlativi suffixa comparativi terminationi, sed ei brevissimae, is dico, adiiciantur. Saepenumero etiam fit, ut aut ambo superlativi suffixa ad augendam vim inter se componantur aut alterum geminetur. Itaque in Graeca Latinaque lingua sex quae sequuntur compositarum superlativi terminationum formae extiterunt:

1) is-ma. 3) ta-ma. 5) is-ta-ma.
2) is-ta. 4) ta-ta. 6) is-ta-ta.

Quarum prima secundaque nascuntur ita, ut superlativi suffixa simplicia adiungantur comparativo, tertia est compositio amborum suffixorum, quarta iteratio alterius, quinta denique et sexta existunt tertia et quarta ad comparativum adiectis.

Consideretur igitur deinceps, qualis sit sex terminationum hoc modo ortarum usus.

1) isma.

Latina tantum vocabula hoc loco commemoratum iri apparet, siquidem ma illud simplex a Graecis rarius adhiberi iam supra eluxit. Itaque principem merito locum teneat primus, ortum e prismus; deinde plurimus superlativi mentio est iniicienda, quamquam quomodo sit formatus, infra alia praefati docere poterimus. Tum tria vocabula similia inter se huc pertinent, postremus dico, extremus, supremus. Quodsi sunt, qui Varronem sequantur de l. L. VI. 5 et VII. 51 ed. Müll. dicentem supremus esse a superrumo dictum, in gravem eundem errorem cadere atque ii putandi sunt, qui bruma et cunctus et imus nasci e brevissima et coniunctus et infimus contendant. Ita potius ortum est postremus, ut ad comparativi breviorem formam posteris adiiciatur terminatio mus, deinde s littera deleatur, denique producatur i vocalis, ut fiat ê.

2) ista.

Graecis proprium hoc suffixum. Tribuitur autem iis adiectivis, quorum comparativi in ιων desinunt. Attamen pauca vocabula regulam deserunt. Nam in ἕκαστος superlativi comparativo altera adhibetur terminatio, deinde μεῖστος superlativus non apud solutae orationis scriptores, sicut comparativus μείων, sed apud poetas tantum est usitatus, quod contra superlativorum ἄριστος et ὀλίγιστος comparativis ἀρείων et ὀλίζων poetae soli utuntur. Postremo πρώτιστος unicus superlativi est superlativus; caret autem lingua comparativo πρωτίων*). Sanscrita vero vox prathamas haud plane dissimili modo formata Graeci vocabuli πρῶτος Latinique primus suffixa quodammodo coniunxit.

Sanscritae igitur linguae quoniam mentionem fecimus, hoc loco commemorandum est suffixum illud ista ibi paullo mutatum (vid. Boppii gramm. reg. 91 et 101, a.) ischth'a sonare. Cuius formae vestigium in Graeco adiectivo λοῖσθος i. e. ultimus retinere videtur. Est autem, si Benfeii sententiam sequimur, superlativus adiectivi λοιπός, ita ut contractum sit e λοίπιστος, si Pottii, aut idem superlativus aut nostro der letzte aequalis, cuius positivus est Anglicum adiectivum late.

3) tama.

Latina vicissim hic sunt consideranda et maxime quidem varia, quia compluribus modis huius terminationis soni sunt immutati. Nam quum et in Graeca et in Latina lingua **m** et **n** litterarum vi vocales praecedentes **a**, **e**, **i**, sexcenties mutentur in **o** vel **u**, Romanorum huius suffixi vetustissima forma erat tumo. Huius exempla quin omnino apud eos scriptores, qui aureae vocantur aetatis, sint servata, dubium. Postumus enim superlativi origo ambigua est: praeterea tradita nobis alia est forma postimus. Priscae tamen eiusmodi vo-

*) Quod contra in nostra lingua comparativus quidem erstere, neque vero superlativus ersteste extitit.

cabulorum formae, verbi causa citumus, aut apud grammaticos aut in inscriptionibus aut apud quosdam scriptores talia captantes multifariam occurrunt illae quidem, attamen omnes eas hoc loco commemorare, in tanta praesertim librorum MSS. diversitate lectionum, operae pretium non esse arbitror. Unum vero eiusmodi vocabulum, quotumus dico, quod occurrit in Plauti Pseud. IV. 2, 7 et IV. 7, 77 postea omnino non fuit usitatum. Ortum vero est aut e quot-tumus, omisso postea altero **t**, aut simplex continet suffixum mo, inserta **u** vocali*).

Hoc suffixum tumo duplici modo mutari potuisse manifestum est, aut **t** littera in **s** mutata, aut tenuissima vocali **i** adscita in locum **u** litterae, quorum utrumque saepissime fit. Ita tres aliae huius suffixi efficiuntur formae: sumo, timo, simo.

De **u** vocali in **i** mutata haec affert Isidorus (I, 26, 15): „Varro tradidit, Caesarem per **i** huiusmodi verba enuntiare ac scribere solitum esse. Inde propter auctoritatem tanti viri consuetudinem factam, ut Maximus, Optimus, Pessimus scribatur.“ Quibus verbis de tempore certe, quo haec facta sit mutatio, edocti sumus.

Sumo igitur illud in multis obsoletis vocum quarundam formis occurrit, verbi causa maxumus, quas omnes postea suffixo simus praeditas esse infra intelligetur. Eodem denique suffixo parisuma illud, quod exstat in sepulcr. Scip., praeditum videtur.

Timo terminatio praecipue praepositionibus adiicitur, unde oriuntur superlativi citimus, extimus, intimus, ultimus, optimus. Quorum unus tantum, optimus dico, praepositionis ob superlativus, comparativo caret. Sextum autem superlativum infimus his

*) Etiam Gothos suffixo tuma usos fuisse apparet e verbis istuma (de quo vid. Grimmii Gramm. II. 152), aftuma, aftumists, hindumists.

annumerare necesse est, si infra, de quo dictum est, putamus comparativum esse.

Alia incerta. Boppio enim adverbia in tim exeuntia, ut viritim, catervatim aliaque superlativos esse censenti, Pottius suo iure, ut equidem suspicor, obloquutus est, quum accusativos potius esse malit. Verisimiliorem autem esse arbitror eiusdem Boppii coniecturam, conferenda esse in superlativorum recensum adiectiva legitimus, finitimus, maritimus. Quibus Cic. Topic. 8 quartum aeditimus adiecit. Postimus, quod est pro postumus, iam supra commemoravi. Mediotimus autem sicut alia multa Plautina alba ut dicunt linea signare non convenit: fortasse enim praeferenda videtur lectio medioxumus. — Mutata denique paullulum haec terminatio occurrere videtur in adverbio saltem, quod quamvis sit incertum, unde originem ducat, tamen e superlativorum censu reiicere non ausim (cf. nostrum wenigstens).

Ventum tandem est ad simo terminationem, novissimam suffixi illius formam. Agmen igitur ducat medioximus illud modo commemoratum, quod nonnumquam apud Plautum legitur. Quae vox quamvis sit obscura, tamen Festum minus accurate tradere persuasum habeo, medioxime esse idem quod mediocre. At in medio nobismet est relinquendum vocabulum. Alii superlativi in simus desinentes sunt maximus et proximus. Praeterea eadem terminatione formantur omnia ordinalia quae dicuntur numeralia, exceptis undeviginti primis, itaque vigesimus verbi causa et nonagesimus oriuntur e vigint-simus et nonagint-simus. Sequentibus autem numeris inde a centesimo quasi errore quodam linguae eadem terminatio contigit, quippe quae etiam hac re Graeco suffixo στὸς simillima est.

Ceterum hoc suffixum iis tantum adiicitur adiectivis, quorum thematis ultima littera est **l** vel **r**. Quarum litterarum vi **s** illud suffixi quod sequitur et ipsum in eandem, quae praecedit, litteram mutatur, sicut exempli causa e velsem et fersem orta sunt vocabula vellem et ferrem. Ac thematum in **r** desinentium omnium superlativi ita formantur, velut nigerrimus, quem in censum etiam minerrimus superlativus venire videtur, qui a Festo idem ac minimus esse dicitur: eorum vero, quae in **l** desinunt, nonnulla tantum, et ea usa tritissima, hac terminatione semper utuntur, velut facilis, humilis, similis, alia vero, verbi causa agilis, gracilis, docilis hoc suffixum tum adsciscunt, tum repudiant et compositam issimus terminationem sibi arrogant. Hocce vero, de quo nunc agimus, suffixum priscis temporibus latius patuisse manifestum est, si superlativorum imbecillimus et maturrimus (Caes. B. G. I, 33) rationem habueris, quibus purime illud a Festo traditum addendum videtur, si antea purrime sonuisse credas.

4) tata.

Dicendum igitur est de Graecorum superlativorum usitatissimo suffixo τατο, quod quomodo iteratione ortum sit e simplici illo το clarissime perspicitur ratione habita epici τρίτατος, quod est pro τρίτος. Est autem Graecae linguae peculiaris terminatio, ita ut in ceteris linguis quod sciam ne levissimum quidem eius vestigium occurrat. Quamobrem hoc suffixum eo demum tempore ortum puto, quo Graeci a ceteris Asiae gentibus segregati novas sibi in Europa sedes quaesiverunt. Sunt autem pauca tantum hoc loco notanda, quia omnibus iis adiectivis tribuitur, quorum comparativi in τερος desinunt. Nam praepositionum et pronominum supra commemoratorum ipsae notiones a superlativi terminatione abhorrent. Contra similiter ob notionem superlativis πανύστατος et τελεύτατος (vid. Hesych. s. v.) nullos comparativos esse per se est perspicuum. Mutata autem huius suffixi forma est in voce πόστος, ubi τος suffixum verbo πόσος eadem terminatione iam praedito adiicitur. Δεύτατος vero, cui voci inepte forsitan hoc suffixum tribui videatur, cum primitus denotat, qui complurium aliorum ratione habita δεύτερος est, i. e. ulti-

mum. Quod vocabulum qui a verbo *δεύω* derivandum putant, exempli gratia Eustathius ad Il. *τ′* 48 et Suidas s. v. *δεύτατος* timeo ne vehementer fallantur. Postremo sicut adiectiva nonnulla utroque comparativi suffixo uti iam supra vidimus, sic etiam et *ιστος* et *τατος* terminatio quibusdam promiscue tribuitur. Huius exempla sunt *αἴσχιστος* et *αἰσχρότατος*, *βάθιστος* (Hom. Il. *ϑ′* 14) et *βαθύτατος*, *βάρδιστος* (Il. *ψ′* 310 et 530) et *βραδύτατος*, *τάχιστα* et *ταχύτατα* (Xen. Hell. V, 1, 27), *φέριστος* et *φέρτατος*. Semel vero etiam *ιστος* et simplex illud *τος* in uno adiectivo, *νέος* dico, inveni, ita ut duo superlativi oriantur *νήϊστος* (Hesych. s. v.) et *νέατος*.

5) istama.

Huius terminationis vestigia vetustissimae formae restant in duobus tantum vocabulis sinistimus et dextimus, quod ortum esse e decistimus autumo, quibus vocibus, tametsi Vossius positivos esse contendit, hunc inter superlativos locum tribuendum esse persuasum habeo. Ceterum facile coniici potest ad hoc suffixum compositum formandum ultimam potissimum suffixi tama formam, simo nempe, adhibitam esse, ita ut hoc modo existat issimus illud usitatissimum, quod quamvis sit in omnibus paene adiectivis adhibitum, tamen a prima suffixorum origine remotissimum esse apparet.

6) istata.

Huius terminationis iam supra, ubi de comparativis in *ιστερος* desinentibus disputavimus, mentio est facta nihilque hoc loco addendum videtur.

Denique verbo tantum tetigisse sufficiat, etiam nonnullos comparativos derivari a superlativis. Huius rei Graecum unicum tantum exemplum *ἑκάστερος* promptum habeo, Latina quatuor, primores, postremior, extremior, proximiores.

Caput II.

De litterarum quibusdam mutationibus.

Considerata modo locupletissima suffixorum serie iam recensum instituamus mutationum earum, quibus, quae sunt linguarum leges, afficiuntur vocabula adiectis ad themata terminationibus. Qua in disputatione quum et earum litterarum, quibus themata finiuntur, et earum, quibus incipiunt terminationes, ratio sit habenda, et praeterea sit distinguendum inter consonantes et inter vocales, quadripartitam quaestionem instituamus necesse est.

Ac priusquam de singulis accuratius disseram, obiter tangere sufficiat, quatuor tantum litteras **m**, **s**, **t**, **i** esse, quibus incipiant suffixa, quapropter multo facilius haec tractari possunt, quam si plurium sonorum varietate quaestio molesta caperet incrementa.

I. Primum igitur suffixa consonis incipientia considerentur, quae ad themata in consonas desinentia adiecta sunt. Ubi praecipue notandum videtur, priscis temporibus Latinum illud mus adiectivis adiungi solitum esse nulla vocali inserta, itaque extitisse summus e submus, **b** littera sequentis litterae vi in **m** mutata, similiterque imus ex inmus omissa littera **n** productaque tamquam ad resarciendum vocabuli detrimentum vocali **i**. Quod si semper factum esset, quia saepe barbara quadam asperitate voces offendissent, primum in nonnullis, deinde in omnibus consonantibus in morem venit vocali **i** inserta inter thema et suffixum uti, ita ut septimus et decimus verba fierent, deinde bruma, quod ortum est e brevima, denique minimus, quod mimus sonuisset, si perinde atque imus esset formatum. Eandem terminationem quum comparativo saepe adiungi demonstratum sit supra, ipsum illius suffixum is nonnumquam hac re adeo mutari intelligimus, ut penitus fere tollatur. Ita ut inmus fit imus, sic

primus oriri e prismus negari nequit. Eodem modo si plurimus formatum esset, plumus sonaret, quod ortum esset e plusmus: sed quum plus ipsum contractum sit e pleius, ne vox nimis mutiletur, vocalis interposita est inter thema et suffixum, quamobrem quia **s** litteram et praecedit et sequitur vocalis, haec littera necessario in **r** mutatur. Postremus autem, extremus, supremus orta sunt e posterismus ceteris et sicut primus e. g. posterimus effectum esset, nisi mutato **r** consonae loco, **e** vocalis in penultima syllaba esset posita.

Secundo loco quaeratur, quid fiat terminatione initium capiente a **t** consona. Quod si accidit, nonnullas consonas praecedentes plane immutatas manere consentaneum est, velut **n** (*μελάντερος*), **l** (*φίλτερος*, ultra), **r** (*μακάρτερος*), **s** (*ἀληθέστερος*). **B** autem in **p** mutetur necesse est (optimus). Porro **t** ante suffixi **t** litteram omissum videtur in duabus vocibus Romanis, quotumus dico et postumus, quae orta videntur e quot-tumus et post-tumus. En huius veteris formae vestigium fortasse apud eos servatum, qui posthumus scribunt: nisi forte sunt, qui ab humo hoc verbum falso derivasse putent Romanos, ut eum significarent, qui natus esset post humatum patris corpus. In Graeca autem lingua, id quod alibi in Romana etiam saepissime accidit, *ττ* in *στ* mutatur, quomodo e. g. *πενέστερος* comparativus extitit e positivi themate *πενητ*. Quodsi *ν* consona praecedit duplex illud *τ*, ipsa omittitur, id quod fit e. g. in vocibus *χαριέστερος* et *τριακοστός*, quae nulla mutatione facta *χαριέντ-τερος* et *τριακοντ-τὸς* sonarent. Eodem modo *τ* ante *τ* in *σ* conversum est in *ὕστερος* vocabulo, quod unde ortum sit, iis, qui Graecae linguae solius rationem habent, prorsus ignotum est. Est autem eius etymon Sanscrita praepositio ut, quae idem significat quod Latinum sursum, quae verbi notio in Graeca voce inde profecta nonnihil est immutata. De spiritu aspero vide quae supra monui. Eiusdem praepositionis vestigia in Latinis vocabulis usque, uspiam, usquam manere nonnulli contendunt, hosce tamen Schmidtii opinionis (de pron. Graec. et Lat. pag. 96), relativa primitus fuisse haec verba, ne sint immemores admonitos velim*). Dentalium autem quae vocatur media quum in lingua Romana nonnumquam in **l** convertatur (cf. vocabula lacrima, levir, lignum), fortasse iure suo nonnulli Latinas etiam voces ultro, ultra, ultimus inde derivandas putant (cf. Lischii libellum über die Praepositionen pag. 59); neque vero Pottii sententia spernenda videtur, qui ad vetus illud olle eas voces pertinere arbitratur. Ultra autem antea uls sonuisse Festus auctore usus Catone scribit. Denique quod apud Pomponium in origine iuris legebatur ultis (u. Tiberim) terminatione ians praeditum videtur, inserto fortasse alio quodam suffixo. Eodem modo **t** insertum videtur inter thema et terminationem in voce *βελτίων*, quam Boppius a radice var derivandam putat (cf. eius librum: Vocalismus cet. pag. 167).

Compluribus autem consonis coniunctis, ne asperiores soni offendant, mutationes extiterunt, quas certam quandam normam non sequi consentaneum est. Hoc modo e. g. *ἕκτος* oritur e *ἕξτος*, quia consonas illas, quas in Latino sextus, in Graeca lingua coniungi non licet. Deinde etiam apud Romanos, qui talia non ita morose respuunt, quintus occurrit pro quinctus positum, quamquam haec mutatio non necessaria videtur (cf. cunctus). Servatum autem **c** est in nomine proprio Quinctius inde derivato.

S autem ubi prima est terminationis littera, **nt** litterae praecedentes omittuntur in lingua Romana atque eam ob causam producitur vocalis, e. g. in verbo vigesimus pro vigint-simus. Contra **r** et **l** consonis adiectum **s**, ut supra commemoratum est, et ipsum

---

*) Ut illius primitivam formam occurrere fortasse in Latina voce uterus, qui proprie significet sursum Pottius censuit in l. l. I. 218.

aut in **l** aut in **r** mutatur: quo efficiuntur v. c. nigerrimus, facillimus cet. Praeterea **g** ante **s** in **c** conversum efficit **x**, velut in superlativo maximus. Denique proximus ortum est e propsimus.

Quod attinet ad hanc mutationem litterarum ps, ut efficiatur x, paullo latius liceat in hunc campum exspatiari. Romana enim lingua quum Graecis litteris ζ et ψ omnino careat, x unicus restat sonus ita compositus. Quamobrem haec littera illarum vices interdum sustinet, ita ut ts, ds, ps, bs, vs convertantur in **x**. Hoc modo ts in **x** mutatur in participio nixus, quod est pro nitsus, a verbo nitendi: deinde in nominativo Aiax, qui prodit ex themate *Αἰατ*, quamquam ceteri casus huius vocis errore quasi ita formantur, ac si **x** ortum esset e literis cs: denique exemplum huius rei contineri videtur in Festi (s. v. gnitus) loco quodam obscuro, ubi dicit: gnitus et gnixus a genibus prisci dixerunt. Ds in **x** mutatum occurrit in substantivo maxilla, a mandendi verbo, quod est pro madsilla, et fortasse etiam in verbo rixa, quod haud dissimiliter veri idem est quod Graecum *ἔρις*, ita ut rixa et lis fortasse unius verbi diversae sint formae. Ps hoc modo conversum est primum in superlativo illo proximus, deinde in substantivo lynx, quod Hoefer, vir egregius, laudabili coniectura a radice lup, cui est notio divellendi, derivandum putat. Tum etiam coxa substantivum, ratione habita nostri hüfte, Graeci *ὀσφύς* huc quadrare videtur, a quibus tamen Sanscrita vox kaďa discrepat. Porro eodem fere modo atque lynx illud etiam lanx formatum videtur, quod mea quidem sententia a radice lab est derivandum, ita ut bs convertatur in **x** et nasalis inseratur, id quod e. g. in Latino lambo, Graeco *λαμβάνω* fit, quae ad eandem radicem pertinent. Ita lancem proprie eam significare puto, quae in se recipiat, sc. cibum. Attamen et in lynx et in lanx vocabulis scrupuli aliquid relictum esse fateor. Postremo vs mutatum est in **x** in perfectis vixi, fluxi, struxi et in substantivo nix. Quamquam in hoc ultimo vocabulo ratione habita verbi ninguo incertum videtur, utrum gutturalis an **v** consona sit antiquior.

II. Adiectivorum themata si in consonam desinunt, suffixum autem vocali (**i**) incipit, mutatio quaedam fit, quae grammaticis fere omnibus regulam plane deserere visa est et, quamvis sit maximi momenti, tamen nondum, quomodo sit orta, luculenter est explicata. **J** enim vocalis quum in omnibus linguis, sicut **u** ad labiales proxime accedit, palatalibus sit annumeranda, facile cum consona praecedente ita coalescit, ut una palatalis efficiatur. Huius rei quum imprimis Romanicae quae vocantur linguae, in quibus palatales latissime patent, sexcenta praebeant exempla, tamen quamquam in manibus sunt, ne multus sim, hoc loco afferre displicet. Ad Graecam autem linguam animum advertentibus occurrunt nonnulla adiectiva, quorum themata in *κ*, *χ*, *τ*, *ϑ*, *δ* desinunt, quibus quum adiungitur comparativi suffixum *ίων*, consonae illae cum *ι* vocali huius terminationis ita coalescunt, ut *σσ* oriatur. Cuius rei exempla, litteris illis, in quas themata desinunt, in exemplorum fronte ubique positis, haec affero:

κ: *μάσσων* (*μακίων*), *ἥσσων* (*ἡκίων*), *γλύσσων* (Aristoph., = *γλυκίων*.)

χ: *ϑάσσων* (*ταχίων*), *πάσσων* (Hom., = *παχίων*), *ἐλάσσων* (*ἐλαχίων*), *ἆσσον* (*ἄγχιον*), *βράσσων* (*βραχίων*, vid. Eustath. ad Iliad. p. 630. ed. R.).

τ: *κρείσσων* (*κρατίων*).

ϑ: *βάσσων* (poet. = *βαϑίων*).

δ: *βράσσων* (Hom., = *βραδίων*; distinguendum ab illo *βράσσων*, quod est pro *βραχίων*).

His adiungo duos alios comparativos, licet plane alio modo orti videantur, *ῥᾴων* dico et *μείων*, quos sub eundem censum cadere statim elucebit. E duobus enim *σ* coniunctis quum saepe alterum omittatur, velut in adiectivo *μέσος*, orto e *μέσσος* (quod profectum est e *μέδιος*), quia *σ* inter duas vocales positum, ubi nihil est impedimento, e. g. terminatio integra servanda, semper fere evanuit,

ῥᾴων ita mihi ortum videtur, ut positivi ῥᾴδιος comparativus ῥαδιίων, sicut in illis exemplis fit, primum in ῥασσίων mutatus sit, deinde in ῥασίων, tum in ῥαΐων (quod occurrit aeque ac superlativus ῥάϊςτος apud Hesychium s. v.), inde vero postremo ῥᾴων sit ortum. Perinde positivi μικρός antiquissimus comparativus erat μικίων, qui primum conversus est in μίσσων, deinde in μίσων, tum in μίων, postremo mutata vocali, qua de re infra quaedam afferentur, in μείων. Quae ne Pόttium et Benfeium, secus paullulum de his vocibus statuentes offendant quaeso.

Κρείσσων comparativus (cuius Ionica forma est κρέσσων), quoniam perinde atque illud μίσσων formatus est, facile credi potest, sicut μείων e μίσσων, κρείων substantivum inde ortum esse, ita ut primitus validiorem significet. Confirmatur haec opinio et Eustathii sententia, qui hoc modo illud se habere putat, et nostro substantivo herr, quod primitus comparativum fuisse nostri adiectivi hehr plurimi consentiunt. Attamen quum ceteri casus huius vocis, e. g. κρείοντος, aliter formentur, hanc coniecturam in dubium vocemus et participium potius quam comparativum vocabulum esse statuamus necesse est*).

Duplex illud σ qui dentale esse putant, nullo modo, quomodo ortum sit e κι et χι, satis intelligunt. Intelligitur autem facillime, si, id quod etiam Benfeius (Wurzellex. I. 211.) contendit, palatalem esse statuimus aut nostrum sch aut Sanscritum ç fere aequiparantem.

---

*) Sed hoc nos deducit ad aliam quaestionem. Consentaneum est enim, imprimis magistratus, duces aliosque id genus homines comparativis aut superlativis significari, cuius generis verba sunt πρόμος, ὕπατος, πρύτανις, nostra herr, oberst cet. Itaque rogatos velim viros doctos, num vocabulum πρείγιστος, quo significatur Cretensium quidam magistratus (πρείγιστοι ἐπὶ εὐνομίας commemorantur in foedere Latiorum et Olontiorum in Boeckhii corp. inscr. p. 398, 57.) inter superlativos referre sciant. In hoc enim cardo rei versari videtur.

Contra ubi thema adiectivi in γ desinit, quia γ vocali ι multo coniunctius est, quam illae quinque litterae supra commemoratae, alia fit mutatio. Est enim in Graeca lingua alia quaedam palatalis, cuius sonus medius est inter γ et inter ι, quia et j litterae simillimus est et g consonae non dissimilis: nam eundem locum tenet in litterarum Graecarum serie, quem g consona in Romanarum. Z litteram dico, aut Francogallicae palatalis g aut Italianae et Anglicae paullo durioris sono prorsus aequam. Haudquaquam enim ζ effectum est e σδ, quod ii, qui quomodo ortum sit plane sunt ignari, contendunt, ratione tantum habita et Doricarum quarundam vocum formarum et verborum nonnullorum ita ortorum, ut e. g. Ἀθηνάζε efficitur. Ita e γι necessario fit ζ, cuius exempla sunt ὀλίζων (poet. pro ὀλιγίων, Thessalice, Aeolice, Ionice Eustathio auctore pro ὀλίγος et μικρός) et μείζων (Aeolice μέσσων, Hesych. s. v. μέττον), quod est pro μεγίων. Alia huius rei exempla in lingua Romana exstant. Ibi enim quum loco ζ Graeci j adhibeatur, id quod e. g. fit in vocibus Iupiter (Ζεὺς), iugum (ζυγόν), ius (quod a radice verbi ζέω est derivandum), maior comparativum e magior perinde ortum esse puto ac μείζων e μεγίων. Quamobrem neque g omissum esse in voce maior censemus, neque Benario in libro suo Roemische Lautlehre pag. 202 quaerenti, utrum radicis huius ultima littera omissa media an aspirata fuerit, omnino respondendum esse putamus. Quae quum ita se habeant, etiam peior comparativum ortum esse e pegior autumare licet. Hoc vocabulum primitus rem quandam significasse, quae sensibus percipi possit, quum consentaneum sit, peior nihil aliud fuisse puto ac πάσσων illud Homericum, ita ut primum significaverit crassum, deinde rudem et hebetem, id quod verba παχὺς et crassus eadem significant. Positivum igitur esse puto adiectivum pinguis, quod idem esse ac παχὺς ad unum omnes consentiunt, ita ut inter comparativos pinguior et peior eadem fere ratio intercedat, quae in-

ter mingo et meio. Superlativum autem pessimus quod attinet, quin ortus sit e peg-simus dubito, nam peximus quominus diceretur, nihil erat impedimento, sed contractum puto e peiussimus. Haec verba qui a praepositione per derivanda putent, caveant, ne vehementer fallantur.

Praeterea necesse est ad stabiliendam hanc sententiam, etiam alia verba ominari in Graeca lingua, in quibus aut ζ aut σσ ortum sit ι vocali cum consona praecedente coniuncta. Ac ζ quidem hoc modo ortum est in ζα syllaba, quae est pro διά, in πέζος adiectivo (πέδιος), in Ζεὺς substantivo (pro Διύς, inserta ε vocali tamquam guna quod vocatur, id quod eodem modo fit in Sanscrito djaus) et id genus aliis.

At ne singula captemus, ubi totius regulae cuiusdam mentio potest iniici. In verbis enim palatales hoc modo saepissime oriri persuasum habeo. Considerantem enim Graeca verba in ιω desinentia neminem fugit inveniri quidem sat multa, circiter triginta exceptis desiderativis in σειω desinentibus, in quibus ι illud aut vocalis aut liquida praecedat, sed perpauca tantum, in quibus sit muta quaedam ante terminationem posita. Eiusmodi verba quia olim in lingua Graeca procul dubio fuerunt, in his ι illud cum muta praecedente coaluisse consentaneum est, ita ut palatalis effecta sit, ac ζ quidem saepissime, ubi media, σσ saepissime, ubi tenuis vel aspirata praecesserat*). Nostra igitur sententia ortum est βήσσω e βηχίω, φρίσσω e φρικίω, λίσσομαι e λιτίομαι, κορύσσω e κορυθίω, κλάζω e κλαγίω, φράζω e φραδίω. Quae sententia verisimilior redditur comparatis nonnullis Graecis verbis cum Latinis ex eodem fonte profectis. Ita poeticum φύζω (ortum e φυγίω, quod est pro φεύγω) idem est quod fugio, ῥύζω

*) Neque vero hoc semper fit. Nonnumquam enim in quibusdam dialectis haec regula deseritur. Ita e. g. auctore Eustath. ad Il. κ' 572 Tarentini solebant invicem ζω et σσω terminationes permutare.

quod rugio, μύζω quo mugio, ἕζω quod sedeo (quod fortasse est pro sedio), σάττω quod sarcio, φράσσω quod farcio, κλάζω (γλάζω) quod glocio (clocio). Huius rei rationem qui habet, facile perspicere potest, unde Graecae terminationes ζω et σσω sint ortae, quarum ἀνάλογα frustra quaerimus in ceteris linguis. Ea tantum verba, quae in αζω et ιζω desinunt, huc non pertinent, quia in his ζ ortum est e mero **j**. Ea autem verba Graeca in ιω desinentia, quae restant muta aut gutturali aut dentali praecedente, haec tantum sunt: primum δίω, κίω, τίω, φθίω, ubi omissa hac mutatione cavetur, ne monosyllaba fiant verba, deinde ἐσθίω, ubi palatalis negligitur propter σ praecedens, denique ἰδίω, κηκίω, μαστίω, μητίομαι, quae omnia quum a substantivis deriventur, palatali adhibita obscurum redditum esset, unde orta sint verba.

Postremo labialium obiter est mentio facienda. Hae enim neque ante comparativi terminationem ιων inveniuntur et ante verborum suffixum ιων occurrunt, nisi semel tantum, quod sciam, scilicet in verbo πίομαι. Radicibus enim iis, quae in labiales exeunt, non ι sed τ est derivandi causa adiectum (e. g. τύπ-τω). Huc mihi cadere videtur, quod nobis traditum est, Aeolios saepe usos fuisse verbis in σσω exeuntibus, quae in ceteris dialectis praedita sint terminatione πτω. Hoc sane non ita intelligendum est, ut veteres grammatici dicunt, ππ esse in σσ conversum, sed ita, ut horum verborum radicibus apud ceteros Graecos τ litteram, apud Aeolios autem ι adiectam esse statuamus. Attamen in his restricti acquiescamus, quamquam nonnulla restant dubia. —

Sed redeamus unde profecti sumus. Mutas igitur sequente ι saepissime in palatales mutari intelleximus, in liquidis autem illud non accidit, quia palatalium usus in lingua Graeca et Romana minus late patet quam apud Francogallos, ubi etiam **n** consona e. g. in vocabulis danger et songe (damniarium, somnium) in palatalem convertitur. Contra in veteribus linguis

nonnulla alia, quamvis minoris momenti liquidis terminationem praecedentibus accidunt commemoratu digna. Ita v. c. μᾶλλον ortum esse e μάλιον, quod apud Hesychium exstat, omnes persuasum habent et hancobrem vehementer mirum est, quod Dorienses dixisse μάλλιον dicantur: ortam enim puto hanc formam errore quodam grammaticorum μάλιον et μᾶλλον voces temere miscentium. Simili modo κάῤῥων vox Dorica videtur e κάρσσων forma quadam traxisse originem, quod ipsum e καρτίων credas conversum. Neque id negligendum est, quod ι vocalis suffixi interdum loco mutato in syllabam praecedentem inseratur: ita factum est in comparativis ἀμείνων et χείρων (etsi ab Hesychio alia forma χειρίων s. v. tradita sit). Saepius vero hoc accidit in Graeca lingua: ita enim εις terminatio verbalis e vetere εσι, μέλαινα femininum e μελάνια sonis litterarum transpositis orta videntur. Quibus similia esse arbitror Latina minor et primores (quae sunt pro minior et primiores), quamquam i vocalis etiam in aliis verbis omittitur, e. g. in vocibus parentes et sententia (quae sunt pro parientes et sententia). Μείων autem comparativo alia de causa ει diphthongus est: puto enim hanc diphthongum guna esse quod vocatur simplicis vocalis ι, ita ut hic comparativus perinde sit formatus atque Sanscriti kschêpîjas et kschôdîjas a positivis kschipra et kschudra*). Etiam in ἀρείων comparativo guna videtur inesse, quod Sanscritam vocis formam varîjans plane deficit (huius vocabuli prima littera accuratius servata videtur in vocabulo ὀρείονες, quod Hesychius idem significare tradit atque ἄνδρες). Eodem modo etiam χερείων (Dorice χερήιων) ortum esse arbitror. Μείζων vero et κρείσσων cur eadem diphthongo utantur non liquet: locus est enim sane lubricus. Nam in eorum sententiam, qui ι vocalem transpositam putant, ire nequeo, quia in ζ et σσ litteris illam iam contineri statui: contra eos, qui guna esse ε arbitrantur, oportet ι vocalem in voce μείζων ex ε, in vocabulo κρείσσων autem ex α vocalibus ortam putare.

*) Etiam in comparativis Sanscritis kraschîjas, trapîjas, draḍhîjas, prathîjas, bhraçîjas, mradîjas ra syllabam guna esse puto ṛ vocalis positivorum, quamvis hoc loco non necessarium sit, id quod in aliis verbis accidit, ut ar contra regulam in ra convertatur.

III. Si vocalis est ultima littera thematis, consona prima terminationis, nihil fere impedire videtur, quominus nulla mutatione facta suffixum themati adiungatur, cuius rei exempla sunt πιστό-τερος, εὐρύ-τερος, prae-ter, fini-timus, medio-tumus, de-mum cetera. Alia velut τηλοτάτω et ἀγχοτέρω a fictis quibusdam positivis in ος desinentibus derivantur, quorum alia vestigia non exstant apud scriptores. Attamen, quum in Latina lingua saepissime thematum ultimae vocales omittantur, tum ante simus terminationem hoc semper occurrit, quomodo orta sunt v. c. niger-rimus et facil-limus, quorum loco nigro-simus et facili-simus cum ceterarum linguarum consuetudine magis congruerent. Itaque lev-issimus superlativum sicut ceteros eiusdem figurae ita ortum puto, ut ad levi thema omissa ultima vocali i adiiciatur issimus terminatio, cuius originem supra exposui. Quare a Pottii de hac re sententia paullulum discedere ausus sum, qui in libro laudato vol. I. pag. 92 haec tradit: „In den meisten lateinischen Superlativen, z. B. levissimo, ist dem Rhythmus zu Liebe nach dem Schlussbuchstaben der Grundform Doppelung des Consonanten eingetreten."

Contra in lingua Graeca multo pertinacius illam vocalem retineri meminerimus: negligitur autem nonnisi interdum praecedentibus vocalibus ι, αι, ει, quod si fit, in nonnullis vocabulis hac omissione cavetur, ne vocalibus nimis abundent voces. Praecipue haud raro αίτερος ponitur pro αιότερος, id quod accidit e. g. in comparativis γεραίτερος, παλαίτερος, περαίτερος (Hesych.

s. v.), *πεπαίτερος*. *Ιτερος* autem ex *ιώτερος* ortum, quamquam magnopere scrutatus sum grammaticorum libros, tamen in tribus tantum vocabulis inveni. Quorum primum est *ῥηίτερος*, quod est positum pro *ῥηιώτερος*, alterum *δεξιτερὸς* Homericum, Eustathio auctore (ad Il. λ′ 377) ita formatum, *ἵνα ἐξομοιωθῇ πρὸς τὸ ἀντίθετον ἀριστερόν*, tertium denique *πρῳτερική* (sc. *συκῆ* h. e. *ἡ φέρει πρώιον καρπόν*, Eustath. ad Il. β′ 303, cf. Hesych. s. v.), quod est pro *πρωιτερική*, quod ipsum primitus *πρωιωτερικὴ* sonare debebat. Postremo *είτερος* pro *ειότερος* in una tantum voce inveni, *θερείτατος* dico, cuius positivus est *θέρειος*.

Ab hisce exemplis si discesseris, numquam quidem omittitur thematis ultima vocalis, interdum autem mutatur. Quod accidit primum ante suffixum *τος*, ubi *ο* praecedens in *α* mutatum videtur, ne iterata *ο* vocali aures offendantur. Horum exempla affero *ὕπατος*, *πύματος*, *μύχατος*, *μέσατος*, *νέατος* et postremo *ἔσχατος*, quod illorum *ἀναλογίαν* sequitur. Quod si quis autumet, servatam potius esse in his vocabulis *α* vocalem antiquiorum alibi semper in *ο* mutatam, nullus huic repugnare conabor. Alterum autem, quod commemorare studui, multo latius patet. Sequente enim suffixo *τερος* et praecedente brevi syllaba, *ο* vocalis semper fere in *ω* mutatur. Quod primum apud poetas usitatum fuerit necesse est, quia quatuor breves syllabae una coniunctae ad hexametri rhythmum non fuissent accommodatae. Sed et apud poetas quaedam vocabula hoc modo productam praebent nonnumquam illam vocalem, in quibus longa syllaba praecedit, et in soluta oratione in quibusdam vocibus productio illa negligitur. Id quod praecipue accidit in vocibus *κενὸς* et *στενός*, cuius comparativus cum Ionica verbi forma *στεῖνος* magis congruit. Aliter vero vocalem productam esse in vocibus *μυχοίτατος* et *παροίτατος* olim putabam, nunc vero Pottii sententiam potius sequor, qui in l. l. II. 251 hos superlativos ab adverbiis in *οι* desinentibus i. e. localibus

casibus*) derivandos censet. Certius vero *πρῶτος* et Doricum *πρᾶτος* praepositionis *πρὸ* et comparativi *πρότερος* vocalem producunt. Adde vocem *πρύτανις*, in qua tertia vocalis adhibita est, si a voce *πρῶτος* est derivanda, de qua re cf. Welcker. ad Theogn. Mutantur autem *ο* et *ω* etiam in aliis vocibus, imprimis Aeolicis, in *υ* vocalem. Cuius rei haec exempla affero: *ἀμύμων* (*μῶμος*), *ἄργυρος* (*ἀργός*), *ἅλμυρος* (*ἅλμος* inusit., cuius fem. *ἅλμη*), *ὄνυμα* Aeolicum (unde e. g. *ἀνώνυμος* derivatur), *συφὸς* Aeol. (*σοφός*), *ἀσσύτερος* (*ἀσσότερος*), *ἄγυρις*, *πανήγυρις* (*ἀγορά*). Cf. de hac re Giesii librum „der Aeolische Dialect.“

IV. Duarum vocalium, quarum altera ultima thematis, altera prima terminationis est littera, semper illa prior omittitur, si non ad radicem, sed ad thema tantum pertinet. Ita omittitur **o** e. g. in vocibus prior, gratissimus, *καλλίων*, *κάλλιστος*, **i** in vocabulis suavissimus, *ὕψιστος*, *υ* in verbo *ἡδίων*. In Latina autem lingua omnibus adiectivis antea in **u** desinentibus **i** adiectum esse inter omnes constat, ita ut e Graecis vocabulis *βαρύς*, *παχύς*, *βραχύς* Latina sint orta gravis, pinguis, brevis (quod est pro bregvis). Attamen restant in lingua Latina duo comparativi, quorum positivi in cognatis linguis in **u** desinunt, quae vocalis hoc loco a linguae Romanae indole aliena fortasse praecipuum adiumentum fuit, cur positivi Latini evanuerunt. Horum comparativorum alter est ocior, Graeco *ὠκίων* aequalis, ita ut ocyor forma ab eruditis tantum hominibus perperam sit capessita. Alter autem est melior, comparativo mollior ad formam fere aequus, quorum positivum esse Sanscritum madhus eiusque neutrum Graecum *μέθυ* inter omnes constat, ita ut in comparativo mollior **u** illius vestigium secundo **l** sit servatum, in altero autem melior **u** sicut in ocior comparativo omissum sit. Semasiologiae denique est

*) Malim enim localem quam locativum hunc casum appellare, quia locativus locandi casum nescio quem significare videretur.

demonstrare, quomodo linguarum naturae consentaneum sit, ut hoc modo verborum notiones mutentur.

Contra si radicis ipsius vocalis est, id quod rarissime accidit, prima suffixi vocalis (**i**) omittitur, nisi, sicut in superlativo *πλεῖστος*, diphthongus formari potest. Huc referendum est *ἕκαστος*, a Sanscrito êka derivandum.

Praecipue autem hoc loco commemorandus est comparativus plus, cui forma est singularis. **Radix** enim quum sit ple, quae occurrit in vocibus plenus, impleo cet., adiecto suffixo ius efficitur pleius, quod omisso **j** sonat pleus. Haec forma tradita est in Carm. Fratr. Arv., ubi pleoses sive pleores i. e. plures occurrit, quod Lanzius idem esse quod flores perperam interpretatur. Unde contractione usitatissima ples efficitur, quod mutato **s** in **r** inter duas vocales et in voce plera occurrit, qua Festus Pacuvium usum esse tradit, et in verbis plerique et plerumque invenitur. Huic simillima est alia forma, plis dico, quae in superlativo plisima occurrit, quem idem Festus apud priscos eundem fuisse qui postea plurima auctor est. Praeterea pleus illud alio modo terminatione integra servata contrahitur, ita ut plus comparativus postea usitatus oriatur. Inde derivatus est superlativus plusima, qui et apud Varronem legitur et apud Festum, ubi in quibusdam codicibus illius plisima loco invenitur. Postremo inde ortus est superlativus plurimus. Denique in SC. de Bacc. ploirume i. e. plurime traditur, **u** vocali in oi diphthongum mutata (cf. ibidem oitilis et oitier), qua de re cf. Benarium egregie disserentem in libro suo Roem. Lautl. pag. 59. sqq. **U** autem vocalis postea non solum in neutro, sed etiam in masculino et feminino generibus locum obtinuit, id quod fortasse, ut Benarius l. l. pag. 62. affert, praecedentium litterarum pl vi effectum est.

Caput III.

De comparationis graduum metaplasmis.

Excusatione primum opus est quod novo verbo (Germanice dicerem Comparationsmetaplasmen) usus sim. Nam quum in declinatione metaplasmum ita definiamus, ut aliud thema sit nominativi aliud ceterorum casuum, quia casuum in declinandis substantivis eadem ratio est, quae graduum in comparandis adiectivis, meo iure mihi videor statuere comparandi graduum metaplasmum ibi esse, ubi aliud thema sit positivi aliud comparativi et superlativi. Comprehenduntur autem hoc loco multa, quae in grammaticis omnibus regulam deserere videntur, quorum *ἀνωμαλίας* tamen non carere certis quibusdam causis pro parte virili demonstrare aggredior.

Omittenda autem hic videntur ea, quae supra attulimus de thematum ultimis vocalibus apud Romanos saepe neglectis, quod quia in universa lingua Latina sexcenties accidit, videtur in sonorum tantum mutationes cadere neque inde coniici posse, fuisse quondam in lingua Latina positivos his vocalibus carentes. Contra in Graeca lingua quia ista consuetudo numquam fuit, *φίλτερος* comparativum et superlativum *φίλτατος* saepius usitatum huc refero, quos ab antiquiore quodam positivi themate in consonam desinente derivatos puto, ita ut postea *φιλύς*, cuius vestigium maneat in comparativo *φιλίων*, postremo vero positivum *φίλος*, solum apud scriptores servatum, ortum esse statuam. Ceterum etiam *φιλώτατος* superlativus ab Hesychio sub voce traditus est. Perinde vero ac *φίλτατος* a positivo *φίλος*, etiam *φαάντατος* (Hom. Od. *ν′* 93) a positivo *φαεννός* videtur derivatum.

At accedamus ad maiora. Duae enim comparativorum Graecorum terminationes, *αίτερος* dico et *έστερος*, quarum usus primo tempore arctioribus circumscriptus erat limitibus, postea latius patere coeperunt. Atque *αίτε-*

ρος illius duplex est ratio: alii enim huiusmodi comparativi a positivis in *αιος* desinentibus derivantur, qui quum ad sonorum mutationem pertineant, supra commemorati sunt, alii autem, quibus nulli sunt positivi in *αιος* desinentes, hic merito afferentur. Inveni autem hosce eiusmodi comparativos et superlativos apud grammaticos veteres:

εὐδιαίτερος, *ἡσυχαίτατα* (sed etiam *ἡσυχώτερος* invenitur), *ἰδιαίτατος* (Hesych. s. v.), *ἰσαίτερος*, *μεσαίτερος*, *μυχαίτατος*, *ὀψιαίτερος*, *παραπλησιαίτερος*, *πεπαίτερος*, *πλησιαίτερος*, *προτεραίτερος* (i. e. *πρότερος*, Eustathio teste comicis proprium), *προυργιαίτερος* (*προὔργου*, Aristoph., Thucyd.), *πρωιαίτερος* (Thucyd., ubi tamen lectio est incerta), *φιλαίτατος* (Xenoph.).

Contra altera terminatio *έστερος*, quae primitus peculiaris erat iis adiectivis, quorum positivi in *ης* vel *εις* desinunt, apud Atticos scriptores praeterea imprimis adiectivis additur in *ων* desinentibus (*ἀφρονέστερος*). Denique haud pauci huiuscemodi comparativi apud Ionicos scriptores praecipue occurrunt: e quorum numero Eustathius haec affert: *αἰδοιέστερος* (Hom. Odyss.), *ἀνιηρέστερος* (ibid.), *ἀφθονέστατος* (Aeschylus), *ἀφνειέστατος*, *δικαιέστερος*, *εὐωνέστερος* (Epicharmus), *ζωρέστερος*, *ῥαδιέστερος* (Hyperides), *σπουδαιέστατος*, *ὑπερθυμέστατος*, *ὡραιέστατος*. Alia denique videntur ea de causa usitata fuisse, ut asperiores soni evitentur, velut *ἁπλοέστατος* neque vero *ἁπλοώτατος* dicebatur. Simillimam autem ad sonum terminationem *ίστερος* plane alio modo ortam esse iam supra monitum est.

Sequitur, ut etiam de Latino metaplasmo dicendum sit. Notissimum enim est quidem, adiectivorum ita compositorum, ut posterior pars sit dicus, ficus, volus, comparativos et superlativos ita formari, ut positivi quasi fingantur in participia dicens, ficens, volens desinentes. Haec autem res quamvis inter omnes constet, quia nemo tamen quod sciam, quomodo

ortus sit hic metaplasmus, explicavit, meam sententiam afferre liceat. Adiectiva enim ea, quae orta sint participiis cum aliis vocabulis compositis, quum temporis notione i. e. verbi natura privarentur, puto equidem necessario etiam externam participii formam amisisse, ut propria adiectiva fierent, id quod in positivis illorum adiectivorum factum est. Cuius rei aliud simile exemplum afferam. Providens enim participium numquam erat adiectivum, quod ut efficeretur mutatione opus erat aut thematis, unde ortum est prudens, aut terminationis, qua re effectum est providus. Eodem igitur modo maleficens participium factum est maleficus adiectivum. In comparativo autem participii terminatio minus offendit, nam et in medio verbo multo minoris est momenti et comparativi multo magis est (sit venia verbi), ut comparativus, quam ut adiectivum in universum significetur. Quamobrem maleficentior dicere licuit. Simile autem exemplum etiam hoc loco non negligendum censeo. Opulens enim, ne in adiectivo participii terminatio offenderet, saepissime opulentus factum est, in adverbio autem opulenter illa antiquior adiectivi forma, quia non adiectivum a participio distinguendum, sed adverbium significandum erat, diu servata est, ita ut opulente apud seriores tantum quod sciam scriptores inveniatur.

Considerato et Graeco et Latino metaplasmo restat, ut de alio quodam nonnulla afferamus utrique linguae communi. Saepe enim accidit in omnibus quas novi linguis, ut vocabulorum priscae et breviores formae ibi tantum serventur, ubi longior et maioris momenti quaedam terminatio adiicitur, alibi autem aut suffixo quodam aut praefixo longius fiat ipsum vocabulum. E quo linguarum more varia multa fluxerunt, in grammaticis omnibus commemorata quidem, sed tamen unde orta sint non satis intellecta. Eadem igitur mihi videtur causa, cur Iov thema in nominativo cum alio vocabulo componatur, ita ut Iupiter existat, in ceteris vero ca-

sibus immutatum servetur, deinde cur sa radix in participio quidem satus maneat, in praesente autem sero (quod est pro seso) reduplicatione utatur, tum cur ferv radici in praesente defervesco suffixum adiungatur, quo perfectum deferbui caret, denique cur *μεγ* thema in superlativo *μέγιστος* merum occurrat, in positivi autem plurimis casibus syllaba *αλ* auctum sit. Itaque, quod ad nostram disputationem attinet, sub eundem censum cadit, quod positivi sex adiectivorum *αἰσχρός, ἐχθρός, οἰκτρός, κυδρός, μακρός, μικρός* suffixum *ρο* contineant, comparativi autem et superlativi ab alia antiquiore positivi forma deriventur, cui nondum adiectum est illud suffixum*). Eodem modo *ἀλγίων* comparativi positivo *νο* suffixum adiungitur: illud vero *ἄλγιον*, unde Eustathius ad Il. *σ'* 306, quamvis sit comparativus, ceteros casus apud veteres quosdam scriptores positivorum more formari tradit, antiquiorem potius positivi formam esse putandum est. Eodem pertinent *ἐλεώτερον* comparativus et *ἐλλύτατον* et *ἐλαύτατον* superlativi ab Hesychio traditi, ad quorum positivum *ἐλεεινὸς* novum suffixum accessit, quamquam adverbium *ἐλεὸν* servavit formam simpliciorem. Tum *πιότερος* comparativi positivus *πῖος* apud solos poetas occurrit, in soluta autem oratione *πίων* sonat. Eandem fere rationem magnus positivus habet, si cum altiore gradu maior vel ipso orto e vetere quodam magus comparaveris. Quibus postremo loco nequam positivum et nequior comparativum annumerare fortasse licet. In omnibus autem hisce vocabulis non comparativum sed positivum ab regula, ut ita dicam, discedere quis est quin sentiat?

Similia etiam in aliis linguis occurrunt. Sic quidem, ut exemplo utar, in Polonica ki suffixum adiectivorum in comparativis omittitur. Praecipue vero Sanscrita lingua est commemoranda, ubi talia latissime pa-

*) Fortasse etiam inter *λαίδιον* (quod videas apud Hesych. s. v.) et *λαιδρὸς* eadem ratio intercedit, quae inter *κύδιον* et *κυδρός*.

tent. Primum enim adiectivorum suffixa mat, vat, vin, tri negliguntur in comparativis. Deinde singularia quaedam afferenda sunt, velut adiectivorum prija (carus) et hrasva (brevis) comparativi prêjas (quod est pro prêjîjas) et hrasîjas. Tum similiter ac *μείζων* comparativus est positivi thematis *μεγαλο*, Sanscritus comparativus baṇhîjas derivatur a positivi themate bahula (multus), sthavîjas a positivo sthula (magnus, crassus). Deinde javîjas comparativi, cuius positivus est juvan (iuvenis) eadem est ratio ac Latini maior, Graeci *ἀλγίων*. Denique, id quod maxime memoratu dignum est, nonnulla adiectiva Sanscrita, quorum positivis idem suffixum est, quod Graecis *οἰκτρὸς* cet. in comparativo illud omittunt. Huius rei exempla sunt adiectiva kschipra (celer), tripra (satur), sthira (firmus), sphira (tumidus), dûra (longinquus), kschudra (parvus), quorum comparativi sonant kschêpîjas, trapîjas, sthêjas, sphêjas, davîjas, kschôdîjas.

Neque vero suffixa solum omittuntur in comparativis, sed etiam ipsa adiectivorum themata in breviorem formam rediguntur. Eiusmodi comparativos Latinos nota ditior et iunior, Graecos, quorum apud Hesychium fit mentio, *ἱκνότερος* (*ἱκανός*) et *μαλκιώτερος* (*μαλακός*).

Postremo singula quaedam afferenda sunt. Ac primum quidem Latinum superlativum veterrimus non ad vetus positivum pertinere puto, unde ortum esset vetessimus, sed ad obsoletam quandam formam veter, qua usi sunt Ennius (ap. Prisc. lib. III, pag. 118 Kr.), Attius (in Hecuba, ap. eund. lib. VI, pag. 274 Kr.), Varro lib. VI. de l. L. (l. VII, pag. 291 Speng.). Deinde *μήκιστος* superlativus et *μῆκος* substantivum aliam vocalem continent atque *μακρὸς* positivus et *μάσσων* comparativus et cognatarum linguarum ex eadem radice profecta vocabula. Tum *ἰθύντατα* Homericum Pottius l. l. II. 254. monet adiec-

tivum verbale esse, ad quam sententiam stabiliendam confero Eustath. ad Il. σ' 508, qui hunc superlativum a verbo *ἰθύνω* derivandum putat. Eodem modo vocabulum *θαμύντεραι* (Hesych. s. v.) a verbo quodam *θαμύνω*, quod apud scriptores me legisse non memini, censeo derivatum esse. Denique *τερεινοτάτη* et *μελαινοτάτη* superlativorum feminina e positivorum femininis orta esse non est praetermittendum. Sed iam finem faciamus eamque teneamus mediocritatem, quae est media inter nimium et parum.

Sententiae controversae.

I.

Vocalium mutationes, quae fiunt in verbis Germanicis, a Boppio primum recte esse intellectas.

II.

Nullorum verborum notiones aeque atque adverbiorum mutari.

III.

Inter radices vocumque formas Sanscritas et inter Indo-Germanicas accuratius solito esse distinguendum.

IV.

Germanicam linguam olim hodiernae Anglicae linguae multo similiorem redditum iri.

V.

Praeter Pacuvium nullum poetam Romanum Dulorestem scripsisse.
